



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 58. Sanctus Carolus omnia sua Diæcesis loca peste infecta perlustrans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. fici, ac in illius festivitate solemnem
 A. C. 1570. supplicationem quotannis haberi spon-
 dit.

§. LVIII.

*Sanctus Carolus omnia suæ Diœcesis
 loca peste infecta perlustrans.*

*Giuss. l. 4.
 c. 1.*

Amplissima Sancti hujus Archipræfulis
 charitas, ejusque sollicitudo ne-
 quaquam intra arctiores Mediolanensis
 urbis limites constringi patiebatur; quip-
 pe malo nonnihil decrescente suarum
 partium esse arbitrabatur, ut tuto urbe
 egredi permissus suam Diœcesin lustra-
 re, cunctaque loca hoc morbo infecta
 percurrere posset, comitantibus eum
 quibusdam Viris ab eo studiose selectis,
 præterea ubique eundem ordinem,
 quem Mediolani observari jusserat, in-
 troduxit, æqualique cura pauperibus,
 atque infirmis subveniens divites ad fe-
 rendam opem excitavit, porro hujus fer-
 vidi Pastoris præsentia eosdem infirmos
 recreabat, eosque ad calamitates suas
 cum plena in divinam voluntatem sub-
 missione sufferendas excitabat, nam hos
 solatio replebat, illos autem ad con-
 stantiam inflammabat, eos vero, qui
 morti proximi erant, ad ultimam lu-
 ctam administratis Ecclesiæ Sacramen-
 tis ipse disponebat, cumque in agris
 tentoria pro infirmis constructa fuissent,
 ibi-

ibidem Sacella erigi curavit, ut singulis diebus Sacrum celebrari posset. Denique sua sollicitudine, suisque precibus tandem exeunte anno sequenti pestis repressa est, qua lue extinctorum septendecim millia intra urbem, & octo millia in reliquis Diæceseos locis numerabantur, ex quibus viginti sex Ecclesiastici, duo Jesuitæ, totidem Barnabitarum, & decem Cappucini recensentur: ex Monialibus autem paucæ admodum hoc malo consumptæ perierunt, eo quod Sanctus Cardinalis illas particulari sollicitudine fovisset, eisque omnia subsidia amplissima procurasset.

Sæcul. XVI.
A. C. 1576.

§. LIX.

Quarta Mediolanensis Synodus a S. Carolo celebrata.

Eodem hoc anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto paucis ante Mensibus, priusquam pestilentia grassari cæperat, Sanctus Carolus quartam suam Synodum Mediolanensem diplomate die prima Martii edito ad decimam Maji indixit, huicque Synodo initium fecit præmissa oratione, in qua iterato Concilia convocandi necessitatem, necnon uberrima, quæ inde in Ecclesiam redundant, commoda exposuit, quatenus hac ratione mores corrigerentur, & disciplina facta servaretur.

*Labbe Cat.
lect. Conc.
tom. 15. p.
410. & seq.*